

Alte Drucke

**DE VITA IV||VENTVTIS INSTI=||TVENDA, MORIBVS-||QVE AC
STVDIIS || CORRIGEN-||DIS, || Opuscula diuersorum
autorum perquam || erudita, quæ uersa pagina ...**

Gryphius, Sebastianus

Lugduni, 1541

ADHORTATIO AD CHRISTIANAE DOctrinae, per Paulum proditae, studium,
philip. Melanchth.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150956

A D H O R T A

TIO AD CHRISTIANAE DO-

ctrinae, per Paulum prodita, studium,
Philip. Melanchth.

QVIDEM agnosco, Paulinae
philosophiae studium vobis com-
mendaturus, rem me conari non
paulò maiorem uiribus. Quae est
enim humana eloquentia, nedum
mea, quae possit, uel par esse PAU-
LI laudibus explicandis, uel hoc

doctrinae genus adferere? quod, quātumuis magno Chri-
stianae Reipublicae malo, seculorum aliquot fastidit con-
sensus, quem si usquam aliàs, certe in literarum stu-
dijs, nisi non dolet dediscere quod semel imbibimus, per-
tinacissime tuemur. Verum, cum in pia causa nullus sit
non laudandus conatus, non dubitavi audacius fortasse,
quàm prudentius, sed pie tamen, rem, quamuis impar,
egregiam tentare. Nihil aetas, nihil tenuitas nostra de-
hortabatur, quando non alius lusus hanc aetatem perin-
de decet, atq; quaecumq; rerum Christianarum rudi-
mentum. Nam quòd noluit CHRISTVS noster à se
pueros arceri, quasi signo sublato adulescentiam ad sui
studium inuitauit. Proinde, nisi nihil huiusmodi uotis
proficitur, optarim mihi non imitabilem Periclis, aut
Lysiae eloquentiam: Quorum alterius labra Petho in-
sedisse uetus Comœdia testatur. Alterum etiam ille iuxta

Peculiare adu-
scitiae studium,
Christianae liti-
rae.

Precatio.

H 3 Apol

Apollinis oraculum sapiens Socrates admiratus est: Sed illum ipsum uere flexanimum Paulinae linguae spiritum, diuinitus suppeditari, & orationem nostram animatum, & pectora uestra, ad complectendam coelestem sapientiam, inflammaturum. Quid enim magis conuenit, quam de sacris rebus dicturos, diuini numinis opem caelo deuocare: uos item mecum communibus optate uotis, ut benignus dei spiritus, radijs suis animos uestros collustret, & ad hoc philosophiae genus praeparat, quod inaditum esse uiribus humanis, uel hoc inditio est, quod paucis admodum post PAULVM contigisse uidemus: recentiores uero Theologos quos uocant, etiam obscurasse. Quod utinam audacius dicerem, quam uerius. Equidem, ut uelim Paulinam doctrinam non monachis, aut Theologis tantum istis scenicis, sed nullo etiam Christiano familiarissimam esse: ita puto ad فرماندای uitam, nullam sapiendi rationem accommodatorem, nullum certius ad felicitatem compendium esse.

Primum enim ratione quadam & doctrina opus esse, ad instituendam uitam, uel hoc argumento est, quod nulla priuatim domus, nulla ciuitas publice, citra legum usum administrari posse uidetur, ut literas in hoc reuerentis uerisimile sit, quo praescriptis, adeoque duraturis legibus, paulatim gliscenti hominum cupiditati frenum iniiceretur. Extant uiuendi formulae aliae diuinitus proditae, aliae ab ingeniosis hominibus conscriptae, quales est Hesiodi, item Homeri poema, quales philosophorum commentarij, quales pleraque nobilium ciuitatum leges sunt, quarum memoria, historiarum beneficio, ad nostra

617.

Doctrina ad instituendam uitam necessaria.

Hesiodi & Homeri poësis.

nostra tempora propagata est. Verum in his diuina le-
ges tanto sanctiores sunt humanis, quanto propius effin-
gunt tum autorem, tum archetypum omnium bona-
rum rerum, quem non dubium est nusquam certius ex-
pressum, quam in ijs literis, quas suis ipse digitis, in-
æstimanda benignitate, lapideis tabulis insculpsit, præ-
cepitq; omnibus postibus, ædium uestibulis, fimbrijs
item uestium inscribi, & scopi uice, ob oculos interq;
manus reponi, unde uitæ uniuersæ ratio peteretur.
Iam & hoc humanæ leges diuinis scripturis uincun-
tur, quòd legibus Euangelicæ literæ additæ sunt, quæ
CHRISTVM generi mortalium exhibent, qui spiritu
impertit, quo humani animi adcesi, nihil non cœlestē,
sua ipsi sponte adfectent. Lex enim recti uiam monstrat.
Sed honestum animis humanis ille CHRISTI spiritus
absoluit. Adeò planè fieri nequit, ut solis legibus adiu-
tus uitam probe instituas. Neque enim satis est uidere
quid agas, sed refert uel omnium maxime, quæ Euange-
lij farrago est, scire, unde animum petas legibus fauentē,
& honesti amantem: nempe quem à recti amore natu-
ræ genius auocat. Etenim, si solis legibus humanæ men-
tes ad uirtutem incitabantur, non erat, cur aut filius
dei carnem indueret, aut euangelicæ literæ proderentur.
Quare cum ad componendam uitam, tum legum, tum
Euangelij cognitio necessaria sit: cum unicum salutis cō-
pendium, sit sacrarum rerum scientia, quin omnes cer-
tatim animos diuinis literis despondemus? siquidem sua
cuiq; salus esse quàm charissima debet. Alia studia, alijs
uoluptas, alijs quæstus cōmendat, hoc uero pijs omnibus
insti

Leges.

Euangelium.

In Theologi-
as qui huma-
nas traditiones
docent,

instituentæ uitæ cura, adeoq; plus quàm Diomedea ne-
cessitas. Porro, qui è ficticijs philosophorum, aut Theo-
logistarum commentarijs uitæ formam peti posse cen-
sent, quàm irreuerenter, quàm impie de diuinis literis
sentiant, uestrum esto iudicium. Nam si nostris inuentis,
componi mores humani poterant, quid erat, cur legem
ferret? suisq; describeret articulis Optimus maximus de-
us? cur omnibus postibus, simbrijs etiam uestium insculpi
mandaret? idq; ne rationis nostræ censuram & consilia
sectaremur. Nam hoc diserte additum est, ne nostras co-
gitationes sequeremur, ubi satis indicauit cœlestis le-
gumlator, mendacem, uanum, ac futilem esse hominis ca-
ptum, planeq; regendum, ceu Theseio filo Labyrinthum
aliquem. Imò, si per se hominum animi ad uirtutem eri-
gi potuere, quid erat, cur carne filius dei, adeoq; ætera-
nus sermo, uestiretur? cur in uniuersum orbem terrarum
euulgari præciperet Euangelium? cur æternus pater
tam religiose commendaret orbi terrarum filij doctri-
nam? inquit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi
complacui, IPSVM AUDITE, cur sacrosanctâ phi-
losophiam maximi homines tam studiose literis manda-
rent? Et doctrinam suam cum tanti uelit fieri cœlestis
pater, quid homunculi nostra iactamus somnia? quid
αλασκόπων philosophiā NVGARVM REGNVM,
uitæ formam appellamus? Quin uidemus, quàm insanis
Philosophi dogmatis cecitatem suam testati sint, dum
in peruestiganda rerum natura nusquam non hærent,
nusquam non hallucinantur, dum, de bonorum ac ma-
lorum finibus disceptant: ubi hic uoluptatem, ille indo-
lentiā

Philosophia re-
gnum nugarū.

lentiam, hic *ἐνδομια*, ille gloriam, Stoicus falso no-
 mine uirtutem, Peripateticus multo ineptius uirtutis
 usum, adferit. Videbat ipse Socrates, non esse certi *Socratis de Phi-*
 quicquam in uniuerso philosophiæ genere, cum sapien- *losophia senten-*
 tiam suam uocaret *ἀμφοτέρωθεν* *ὅτι*. At hominum
λογολιχίας etiam diuinis literis nostrorum temporum
 Theologi prætulere, quibus debemus, ut nihil hoc
 tempore sint Christianæ literæ, nisi malitiæ quædā sal-
 lacis loquelæ, ut ille apud Ciceronem ait. Adeo, quod
 doctrina genus diuinitus ad corrigendas, confirman-
 das, consolandasq; hominum mentes proditum est, fri-
 uolæ, addo etiam indoctæ loquacium & impiorum So-
 phistarum *καὶ βέλτοι κενόφωνοι* magna ex parte extin-
 xere. Vel contemni poterat, si quid uulgarium artium
 interisset, uerum eam disciplinam intercidere, quæ una
 est periclitantium animorum portus & asylum, ad-
 fictæ conscientie solatium, quis non deploret? Et his
 literis antiquatis, quibus solis muniri Christianæ res so-
 lebant, quam tyrannidem in omnes hominum ordines
 Satan exerceat scuiens, etiam dicere horreo. Quondam
 prudenter in administrandis ciuitatibus cauebatur, ne *Ab honesto.*
 publicæ leges ignorarentur, nisi quis æneas decemui-
 rorum urbis Romæ tabulas, aut ligneos Atheniensium
ἀγέρας nescit. Et sapientissimus rex Minos, Iouis ut fe-
 runt *δαΐς*, quotannis leges suas æri insculptas ter
 circumferri per omnem Cretam uoluit, ne non essent
 & uulgo notissimæ. Quid memorem, quantum operæ,
 philosophi dogmatis, suæ quisq; factionis, ediscendis im-
 pendent? Pudeat Christianos, quibus solis & dei &
 patris

patris, & seruatoris sui salutaria placita ferè ignoran-
 tur. Et qui tot regis nostri insignibus, nobis placemus,
 lauacro *παινεύσεως*, item sacro pane, illud ipsum ne-
 gligimus, per quod unum proxime ad ipsum accedi po-
 test. Siquidem, sermo maximè patris CHRISTVS est,
 non alia ratione CHRISTVM certius expresse-
 rint animi nostri, quàm sacræ doctrinæ studio, in qua illius
 uelut in speculo relucet imago. Carnem æternus dei ser-
 mo induit, ut & nos significaret diuini sermonis com-
 mercio *ἁποθεῖδαι*. Id quod elegans quidam, & pius
 nascentis ecclesiæ Theologus testatur, inquit, nos ser-
 mone ueritatis genitos esse, ut essemus primitiæ creatu-
 rarum. Quòd si Christianarum mentium aliud est Euā-
 gelica doctrina, quæ uesania, quæ impietas est homi-
 num figmenta præferre? Et in sacris uel maxime necessa-
 rij sunt ad formandum animum PAULI commentarij:
 Nam cum alia uolumina leges præscribant, alia rerum
 gestarum historiam narrent, PAVLVS noster me-
 thodica quadam disputatione eos locos persequitur,
 citra quos non admodum profuerit leges didicisse: Nec
 prophetarum uaticinia, nec Euangelicæ historiæ adiri
 possunt, nisi huius commentarios, ceu annem comitem
 ad mare, methodi uice, sequaris. Nam, cum in tractanda
 Farrago Pau hominis natura, tyrannide peccati, legis regno, absolu-
 line doctri- te uirtutis origine, ac propagatione, sacramentis, con-
 nã. sistat rerum Theologicarum summa, unicus Paulus hos
 locos palàm ob oculos mortalium posuit. Breuiter, re-
 demptionis nostræ gratiam, adeoq; CHRISTVM
 ipsum ignoraremus, si PAVLVM orbi terrarum
 deus

deus inuidisset. Neque enim CHRISTVM nouisse,
 est historiam rerum ab ipso gestarum tenere, sed agno-
 scere ingentia beneficia, quæ per ipsum in orbem ter-
 rarum Opt. Maximus deus effudit: Spiritum scilicet,
 & absolutæ uirtutis autorem, & arrabonem gratiæ,
 quem antehac nesciebat mortalitas. Frustra diuinis le-
 gibus animum deuoueris, nisi CHRISTVM esse,
 Paulo magistro, scias eum, à quo spiritus petendus
 sit amans eorum quæ lege iubentur: deinde & qui,
 si quid præter legem, ut imbecillitas humana, deli-
 queris, ignoscat. Frustra item Euangelicam historiam *Fructus Pauli*
 didiceris, nisi historiæ scopos, & usum, illo monstran- *lineæ doctrinæ*
 te, obseruaueris. Vbi de legis abrogatione, de peccata
 to, de carne, de spiritu, de filiis adoptionis, de liberta-
 te, de seruitute differit, quid aliud agit, quam ut, ceu
 methodo quadam, uniuerse scripturæ lumen adferat?
 Omitto quæ mysteria, quam sublimia doceat, ubi coe-
 peris in eum attentius oculos defigere. Satis amplum
 enim fructum feceris, si uel à limine salutaueris. Nam
 quod ad confirmandas, & consolandas conscientias at-
 tinet, nemo Paulo, mea quidem sententia, præfere-
 ndus est. Summa cura esto, ut in hoc discas, quò habeas
 uitæ formam ac regulam. Etenim, si disceptandi, &
 litigandi gratia didiceris, uide quam facias atrocem
 sanctissimo uiro iniuriam, qui pacis adsertore, præcone
 CHRISTI, qui solus uera pax est, tam foede abute-
 ris. Nam quòd quidam Theologica ad scenam, ad Scenici theo-
 uulgi plausum comparant, deplorandum magis quàm logi.
 infectandum est. Iam & ex PAVLO cognoscere
 licebit

Philosophia

ἡ φιλοσοφία

καὶ

licebit, qui fructus longe pulcherrimus est, inter Christianam doctrinam, & philosophiam proprie quid intersit, quod ut adprime necessarium est cognoscere quotquot in philosophicis studiis uersantur: ita neglectum uideo à scholicis doctoribus in uniuersum, qui è Theologia nobis nō aliud fecere quàm illam Græciæ hircissantem animum, philosophiam. De quo discrimine ipse quidem hoc loco dicerem, nisi dehortaretur argumenti difficultas. Verum, hoc uelim omnibus Christianis mentibus persuasum, prorsus aliud esse Christianismum, quàm uel philosophiam, uel nostrorum hominum Theologiam. Alia ad uirtutem uia est, alias bonorum finis, alia hominibus eductura, quam prescribit PAVLVS, quàm quæ philosophorum scholis docetur. Miseram rempub. Christianam, quæ ipsa sui oblita, in alienas scholas detrusa est, imo, quæ, iuxta scripturam, contubernio Moabitidū alienam linguam, oblita patriæ, didicit. Quam calamitatem non uideo cui debeamus, nisi insanis istis Magistris nostris, qui se imperitæ plebeculæ, ementito doctrinæ titulo, uenditant. Prætereo, quàm adcurate formet PAVLVS, omnes hominum ordines, principes, Episcopos, iuuenes, senes, matronas: Nam hæc fortasse cōmunia habet cum alijs sacris scriptoribus. Hanc sibi laudem proprie uindicat, quod gratiæ originem ac propagationē, adeoq; peccati & legis uim excusit, quos potissimum locos ab eo requires. Atq; hæc omnia, quàm graui, quàm dilucida, quàm eleganti oratione persequitur? Breuiter quidem, sed ita ut nihil desit, ut nusquam non satisfaciatur. Periculis orationem aiunt solitam in auditorum animis

Pauli elo-
quentia.

mis

mis tenaces quosdam aculeos relinquere. Huius dici non potest, ut flectat, ut uerset, ut rapiat, ut inflammet legentis animum. Dolet conscientia, consolatur. Sollicitat cupiditas genialis, uocat in uiam, retinet ne frena laxes egrescenti animo, illum ipsum ostentat CHRISTVM, qui seruet: Deniq; , quicquid uerborum animum fatigat, ab hoc pete presentaneum remedium. Neque ulla tam efficax Panacea est, quam Paulina oratio, nullum aduersus uenefica tam salutare Moly, quam aduersus animi morbos PAVLI doctrina. Platonium Char- Epoda So-
miden morbo, nescio quo, leuaturus Socrates, duplex cratica.
indicat remedium: & radiculam quandam & incantamentum, censetq; parum profuturam radiculam citra incantamentum, seu, ut Platonico utar uerbo, citra epoden. Porro, radiculam interpretatur temperantiam, epoden philosophicam doctrinam, sine qua, quamcumq; uita rationem incas, incertam & instabilem putat futuram. Quanto amplius pretium operæ facturum es, si morbis animi medicaturus, PAVLI doctrina utare, tanto quibusuis epodis efficaciore, quanto diuini spiritus uis, humanis præstat omnibus. Sunt animi morbi, tum carnis cupiditas, tum male consciæ mentis pavor, quibus, quando nemo, ut Paulus, medetur, non est cur alterius desideres epodas. Nam, seuientem cupiditatem, alij per leges coercere student: Hic CHRISTVM illum non Paulus uni-
strum exhibet, qui in hoc carnem induit, ut expiaret: cuius male con-
Neque præcipit modo imperandum animo, sed eum ostendit sciæ mētis cō-
dit, qui uires addat periclitanti. Iam uero uel unum pro solator.
fer qui docuerit, quomodo male consciam mentem, id
I quod

quod plurimum in rebus Christianis refert, consolers. Non nego esse locos, quibus adstrictam conscientiam consolers, & in reliquis scripturæ uoluminibus, sed subobscuros, & quorum nullus usus futurus erat, nisi à PAVLO illustrati essent: In humanis doctrinis nego esse in uniuersum, qui saucia menti mederi possit. Imò, quid agunt aliud scholici doctorculi, quàm ut adstrictam conscientiam prorsus excarnificent & enecent? id quod est cernere in formulis casuum, summis, quas uocant, in satisfactionum aduersarijs, & nescio quibus nugis alijs: Sauciant & male sanæ Pontificum constitutiones, ut iures uerius sanguine scriptas Pontificum, quàm Draconis Atheniensis, leges. Quod genus doctorum apte uocat Hieremias Aspidem quæ nullo carmine uinci queant. Quanquam bone deus, nusquam meliorem nauasse operam sibi scholica Theologia uidetur, quàm in conscientie censura. Proinde, iuuenes CHRISTO inaugurati, Paulinæ Philosophiæ animos addicite, nisi non est uobis salus uestra curæ: Hinc formam Christianæ uitæ, hinc animorum solatia, hinc rerum omnium tum diuinarum, tum humanarum iudicium petite. Etenim, iuuentutem in primis refert, nihil antiquius, nihil prius ducere Christiana disciplina, è qua ceu uaticum feliciter transigende uitæ, paret. Neq; enim fieri potest ut probe instituas uitam, ut feliciter transigas, nisi Paulinis adiutus literis, aduersum insidias pertinacissimorum hostium Satanae & carnis. Reliquas artes omnibus uel contemnere licet: Paulina, nisi spem omnem salutis abiecti, negligi non possunt. Et Episcopos adniti de ce

Peroratio.

decebat, ut hæc tenerent, non modo qui studiosi uocantur, sed planè uniuersum Christianum uulgus. Decebat Academiæ nihil maiore cura ac studio docere, quàm hoc genus pias literas, quas, barbara & confusanea disciplina, philosophiâ isti ementito titulo uocant: forensibus item litibus, & sordida quadam philosophiæ æmula, Theologia, maiores nostri mutarunt $\chi\alpha\lambda\kappa\iota\alpha$, si dijs placet, $\chi\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\iota\omega\varsigma$. Ipse magno animi dolore, nihil aliud uideo Academiæ esse, quàm templa Tophet, & funestam filiorum Ennon uallè: Nempè exulantibus Christianis literis. Habuerunt Athenæ ex Ariopago, habuit Sparta pædonomos, qui adulescentiâ optimis quibusq; modis formabant: Et hi quanto felicius Ethnici iuuentutē erudiere, quàm nostrorum temporū Academiæ? Quin uosipsi, studiosi iuuenes, rem capeßite, faucbit ita conatibus uestris, ut ætati, coelestis spiritus: & Christum nusquam euidentius expressum, quàm Paulinis literis, assiduo contemplamini. Nullus deo grator cultus, nullum magis pium exemplū, quàm in pias literas uelle transformari. Et res ipsa semel tentata, suis uos illecebris ita capiet, ut deserere non libeat: Nam cum per sese bonarum rerum cognitio iucunda sit, Christianarum etiam salutaris est, ut nihil dubitem multis nominibus iucundissimum fore Pauli studium, ubi semel delibaueritis. Fama est, Aegyptios gentem sine exemplo superstitiosam, nouo quotannis uere legum ac literarū suarū autori Mercurio quondam solenne sacrum fecisse, multitudinem undiq; confluentem publica epulatione, melle ficuq; operatam. Sacri uetustatē ritus arguit: Nam & aureo illo, quod uocant, seculo, publica ferè cōiuiua, sacrificia fuere,

Dulcis ue-
 ritas.

& opime deorum hostiæ mel ac ficus, quorum usum
 deinde & in πελάγοις mansisse tradunt. Inter epulan-
 dum late uoces iactari solitæ, & quasi Pæan quidam
 Mercurio cantari, neutiquam inconditum carmen γλυ-
 κὺ ἢ ἀλῆθεα. Qua uoce haud obscure declarauit Aegyptus,
 quàm grato pectore Mercurij leges & instituta com-
 plexa fuerit. Eodem Pæane magna mihi spes est, Pau-
 li doctrinam uos, ubi degustaueritis, celebraturos. Cui
 enim iustius, quàm qui Christiana, eademq; optime &
 gratiosissime docet, decantari queat hic hymnus, γλυκὺ
 ἢ ἀλῆθεα.

F I N I S.

SIMONI GRYNEO SVO
 PHIL. MEL. S.

VSV COMPERIMVS, eam esse opti-
 marum rerum conditionem, ut uulgo frè fastidiantur.
 Nam cum literis nihil neque melius, neq; pulchrius ha-
 beant humana: tamen uix paucos, diuino haud dubie be-
 neficio nuper restitutæ, admiratione sui cepere. Etenim
 quòd Pindarus optimam rerum aquam, & pulcherri-
 mam possessionem aurum esse cecinit, næ ille, nisi mul-
 titudinis auribus inseruisset, rebus omnibus literas an-
 tetulisset. Neque enim quicquam est cuius uel usus la-
 tius pateat, uel dignitas harum amplitudinem superet.
 At ea est uulgi amentia, ut non aliud perinde contemnat,
 atq;

atque elegantiores literaturam: eamq; cum uiderem hoc
 potissimum tempore nostris sordere: breui declamatio=
 ne laudaui. Institueram equidem pro eo ac res mere=
 batur, *ἐπιλαβὴν* copiosorem. Sed cum immorari non
 liceret, malui qualicunq; oratione reuocare in uiam stu=
 diosos, quàm causam literarum, ut Græce dicam, *διὰ
 τὴν ἀφ᾽ ἧς* planeq; accidit, ut cum amphora, iuxta Poë=
 tam, institui cœpisset, currente rota urceus exierit. Ve=
 rum quicquid hoc est operis, tibi, mi Simon, propter
 incredibilem amorem tuum erga meliores disciplinas, de=
 dicare uisum est, ut uel tuo exemplo nonnullos ad litera=
 rum studium inuitem. Vale. Vuitembergæ.

DE STUDIO

ARTIVM DICENDI, PHIL.
 MEL. DECLAMATIO.



VE M A D M O D V M H E *πρόδος*
 fido dolet, nescire mortales quan=*à simili.*
 tum & Malua & Albucum ad=
 ferre commodi rebus humanis
 queant, tametsi uiles herbæ: Ita
 nos quoque non nunc primùm que=
 rimur, ignorare adulescentes, quan=
 tum momenti habeant ad solidam eruditionem parandam
 dicendi artes, quæ in speciem nihil profitentur eiusmodi
 cui uulgus applaudat, cæterum utilitate facile res huma=
 nas